

Litteræ ejusdem tenoris erant, quarum hæc fere summa, ut Decreta Reformationis quanto-
cuius expendere, atque deliberarent; qualiter & quibus mediis hæc decreta Reformationis
possent mandari executioni, ut eorum uberius fructus speratus habeatur; attendendo ad præro-
gativas & Jura sua Majestatis, Ecclesiarum, & etiam Jura, privilegia & consuetudines Pro-
vinciarum; atque super singulis suam rescriberent sententiam.

Episcopi, uti & Academia nostra Lovaniensis pauca vel nihil annotarunt; rescripserunt-
que Concilium Tridentinum simpliciter esse publicandum.

Concilia Regia autem, uti & Civitatum Magistratus, examinatis & revisis Reformatio-
nis Decretis, plura hinc inde annotarunt, quæ Juribus Regiis suorumque Vasallorum, & privile-
giis, atque in veteratis consuetudinibus harum Provinciarum videbantur contrariari: ideoque
& judicabant publicationem non faciendam, nisi adhibita in his articulis quadam modifica-
tione; ne alias ob inveteratos harum Provinciarum mores, & recepta ac usitata hætenus Jura
& Privilegia subito inversa, turbarentur omnia, omnisque Concilii speratus fructus impediretur.

Hanc Regiorum Senatuum, & Civitatum Magistratum resolutiones Margarita Belgii Gu-
bernatrix intima vit Regi Philippo II. qui respondit, "sibi non placere, in Concilio populis propo-
nendo quidquam excipi: ne & Romæ, ubi sermonum avida, materies obrectandi, & reliquis
Christianis Principibus in Hispaniam intentis, occasio imitandi præberetur. Nam quod de Re-
gio ac Provinciali Jure dicebatur, consideratum abunde fuisse, cum de Concilio eodem publi-
cando quaesitum fuit in Hispania; in qua illæ planè difficultates existerent: quarum sicut nulla
tunc ratio habita est, sed concilium sine ulla exceptione propositum, adhibita tamen perle-
vi moderatione in ejus usu, ita velle in Belgio idem facituri: eoque mitti Hispanicæ promul-
gationis exemplum, ut parentes imperio suo populi ad unam ubique normam pariter exigantur.

Responsio Regio accepto ulterioribus deliberationibus finem imposuit Gubernatrix; atque ju-
cta enixam Regis voluntatem, publicationem Concilii simpliciter & sine ulla restrictione fieri
mandavit, nullis Concilii articulis in ipso publicationis edito nominatim exceptis, aut re-
strictionibus apposis.

Verum licet ipsa publicatio simpliciter & sine limitatione populo esset intimata, ne tamen jura
& mores inveterati Provinciarum non sine populiurbatione inverterentur; ipsaque subita-
nea mutatio speratum fructum informationis impediret, declaravit Gubernatrix in Litteris
seu Mandatis ad Episcopos & Magistratus Regios pro executione Concilii: "Mentem Regis esse,
ne propter promulgationem hanc licet illimitatè & sine restrictione factam, quidquam immu-
retur aut innovetur circa Regalia, Jura, Privilegia sua Majestatis, aut suorum Vasallorum,
statuumque suorum & subditorum, & speciatim circa Jurisdictionem Laicalem, Jus Patro-
natus Laicis indultum, seu Jus Nominationum, cognitionem causarum & materiæ possessoria
& Beneficiorum, Decimarum possessorum, aut prætensarum per Laicos, superintendentiam &
administrationem Hospitalium aliorumque piorum locorum: non, inquit, ad contravenien-
dum dicto Concilio, sed ut executio accomodetur naturæ cujuslibet Provincia.

Litteræ ad Episcopos missæ habentur parte 3. Edictorum Flandriæ Lib. 6. Rubrica 1. & ad
Magistratus & Concilia Regia parte 2. eorundem Edictorum, Lib. 1. Rubrica 2. atque prædi-
ctam clausulam eisdem verbis exprimunt.

Si notæ à Conciliis Regiis & Civitatum Magistratibus conferantur cum materiis in hac
clausula expressis, patebit ad oculum, clausulam illam ad illas notas dirigi; atque Regem ea-
rum rationem in executione Concilii haberi voluisse.

Unde & Berthrandus Loth in Resolutionibus Belgicis Tract. 2. art. 9. relatis annotationi-
bus Concilii Arthesiæ mox subjungit: Concilium Tridentinum quoad dicta puncta non
fuit receptum in Arthesia.

Similiter Anton Anselmo in suo Triboniano Belgico c. 32. volens exprimere; quæ per di-
ctam clausulam Rex voluit reservata, retulit servatæ ordine Sessionum & capitum Concilii
Tridentini, quid ad singula à Conciliis Belgicis fuerit observatum, haud dubitans, quin hæc es-
sent, quæ Rex per dictam clausulam reservata voluerat: quod & quotidiana praxis confirmat.

Itaque si dictas modificationes, jura Regis ejusque Vasallorum, & inveterata Provincia-
rum

rum privilegia ad regimen spectantia excipias Concilium Tridentinum quoad Decreta refor-
mationis & Disciplina simpliciter & absolute publicatum fuit; unde & in Synodo Provinciali
Cameracensi anno 1565. communi omnium suffragio declaratum fuit, ut quidquid Oecumeni-
cum Concilium Tridentinum statuerit, id sacrosanctum omnibus sit, & inviolabile.

Et Synodus Provincialis Mechliniensis anno 1570. primo suo Decreto "ordinat & præcipit,
ut omnes & singuli, qui ad hanc Synodum convenerint, simpliciter & sine ulla protestatione
ea omnia & singula, quæ à Sancta Synodo Tridentina definita & statuta sunt, palam recipi-
ant, secundum tenorem scedule sequentis: Ego N. omnia & singula quæ à Sancta Synodo
Tridentina statuta & definita sunt, palam recipio.

Conformiter ad hanc generalem publicationem Concilium Privatum Regium anno 1569. re-
spondisse fertur Concilio Frisia, Decretum Concilii Tridentini Sess. 23. cap. 6. De Reformat. quo
decernitur, quod "nullus primâ Tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus consti-
tutus ante 14. annum, Beneficium possit obtinere, deinceps debere observari, non obstante
consuetudine immemoriali in contrarium; uti ex Zypæo nota vi parte 2. hujus Operis tit. 19.
num. 12.

Concilio Tridentino igitur in hoc Opere usus fui tamquam generaliter quoad Decreta Refor-
mationis & Disciplina recepto, salvis restrictionibus sub sæpe dicta clausula contentis, quas
& sollicitè in singulis articulis occurrentibus annotare studui.

PARAGRAPHUS SEPTIMUS.

De Usu Synodorum particularium.

Synodi plures tum Provinciales, tum Diocesanae in Belgio, Gallia, aliisque Provinciis
pro executione Concilii Tridentini & restauranda Ecclesiæ disciplina celebratae fuere;
qua auctoritate ad asserendam modernam disciplinam sæpius usus sumus in hoc Opere.

Quæ sit auctoritas & vis harum Synodorum quoad vim Legislativam, & quousque
hæc se extendat; vel qui earum Decretis obstringantur, sufficienter expositum est parte 1. t. 18. &
20. præsentis Operis, in quibus speciatim de Synodis Diocesanis & Provincialibus tractatum est.

Sed quia pro Belgio non tantum Belgicas, sed & exteras ac notanter Mediolanenses Synodos
sub S. Carolo frequenter adducimus, notandum, quod licet hæc similesque Synodi non exerant vim
obligandi, si ve Legislativam in Belgicas, aut alias Provincias earum terminis non compre-
hensas, nihilominus non uno titulo pro stabilienda Disciplina Belgii & aliarum Provinciarum
utiliter eas adduci.

Primo, quia frequenter Decreta Synodorum potius sunt declarationes quadam & interpreta-
tiones Decreti Concilii Tridentini, aut alterius Legis generalis, quam nova & positiua ordina-
tiones: quo casu merito assumuntur pro intellectu & interpretatione hujusmodi Decreti aut Legis.

Hoc Titulo pro intellectu Concilii Tridentini utiliter admodum assumuntur Decreta Synodo-
rum Mediolanensium sub S. Carolo, cujus curæ & sollicitudine Concilium Tridentinum multum
promotum fuit; quique illud executioni mandare magnopere studuit.

Præterea admodum conducit Synodorum auctoritas, ut Prælati, Pastores, alique quibus
Disciplina Ecclesiastica conservatio aut restauratio incumbit, ipsam observantiam populo
facilius persuadeant, eamque à novitate, aut singularitate, vel rigore nimio (quibus frequen-
ter recta morum Disciplina aspergitur) vindicent; dum eam non tantum à privato aliquo Au-
ctore, sed & à Synodis probatam ostendunt.

Ahæc sæpe in aliquibus Synodis nonnulla ad rectum Ecclesiæ regimen, animarum directio-
nem multum utilia & opportuna occurrunt, quæ in aliis desiderantur; quidni liceat Pastoribus,
Prælati & quibus Ecclesiæ regimen creditum est, hæc ab illis Synodis suggesta impendere & mu-
tuare, tametsi Decreta hæc vim Legis in suis Ecclesiis non habeant?

Quis enim vituperet Prælatos aut Pastores, si à Sanctis Patribus, aut probatis Auctoribus
assumant, quæ hi pro regimine Ecclesiæ & animarum directione oportune suggererunt: tametsi
vim legum eorum dicta aut sententiæ nullam habeant?

Nonne jam pridem Ecclesiæ Romana Synodorum Orientalium, etiam particularium, item A-
fricanorum Decreta pro formanda sua Disciplina assumpsit, tametsi se hisce Decretis non ligari
sciret?

sciret? Similiter & notorium est, alias Ecclesias passim recepisse Canones exterarum Ecclesiarum, dum illos Disciplinæ formandæ aut stabiliendæ seu afferendæ convenientes intelligebant, quod & in Commentario Historico-Canonico in Canones pluribus ostendo.

Licet ergo particularium Synodorum auctoritas, quo ad vim Legislativam certis limitibus concludatur, quatenus tamen præscribunt aut continent ea, quæ ad rectam Ecclesiæ Disciplinam fovendam, corroborandam, aut restaurandam; aut etiam declarandum alicujus Canonis aut Decreti sensum conducere possunt, merito assumuntur etiam ab iis, qui de cætero earum auctoritate non ligantur; modo nihil sit contrarium Disciplinæ in hac particulari Ecclesia auctoritate Superiorum probatæ & pro Lege receptæ.

Notandum quod Synodo apposta littera P. significet Synodum Provincialem; littera verò D. Diocesanam. Numerus autem litteræ appositus significet, eam esse vel primam vel secundam.

PARAGRAPHUS OCTAVUS.

De Edictis Principum.

Ut perfecta haberetur notitia Disciplinæ Ecclesiasticæ, præsertim hodiernæ, necesse fuit plura citare Edicta Principum, quibus ipsa Disciplina servanda præscribitur; quæque in his Belgicis vicinisque Provinciis vice Legum, maxime in Tribunalibus Regiis habentur; & ex quorû præscripto quæstiones, notanter in possessorio, deciduntur.

Cum verò similia Edicta concipi & publicari soleant sub nomine Regis Catholici, vel Christianissimi, alteriusve Principis, qui plura inter se omnino distincta Regna, aut distinctas Provincias, sibi subiecta habet, prænotandum hic censui, Edicta non semper ad omnes Regis aut Principis Ditiones aut Provincias extendi, tametsi nomen Regis aut Principis simpliciter præferant.

Exemplum sit in Edictis Principum nostrorum. Licet enim Brabantia, Flandria, Hannonia, pluresque alie Provincie pareant uni eidemque Principi, nimirum Regi Catholico, nihilominus Provincie illæ manent inter se distinctæ, atque uni Principi parent salvo singularum fure; diversisque sæpe Legibus & Moribus utuntur: neque Lex à Principe uni data, alias astringit, nisi & his specialiter posita fuerit.

Ne ergo circa auctoritatem & vim obligandi horum Edictorum aberretur, inquirendum, num Edictum, de quo agitur, sit generale & directum ad omnes Provincias, puta Belgicas Regi Catholico subiectas; an verò dumtaxat sit singulare pro una alterave Provincia aut etiam particulari territorio: nam pro hac diversitate illius auctoritas magis & minus latè extenditur.

Ut verò hac diversitas innotescat, sciaturque quæ Edicta Generalia, quæ Provincialia aut particularia dumtaxat sint, reflectendum est ad inscriptionem, eosque quibus Princeps salutem dicat, & in epilogo executionem ipsius Edicti mandet.

Si omnibus salutem dicit, plerumque Lex generalis est: & ad eum finem Conciliis omnium Provinciarum publicatio & executio injungi solet. Mandata seu Edicta Provincialia Præfidi & Concilio; Statuta & Privilegia iis, quos concernunt, inscribi solent; uti tradit Zypeus in Introductione ad Notitiam Juris Belgici.

„Solent etiam [ait ibidem Zypeus] condendis Legibus Principes nostri præmittere consultationes cum suis Conciliis, juxta l. 8. C. de Constit. plerumque supremis; publicationem autem omnibus Provincialibus, ut dixi, in Epilogo injungere: quæ etiam antequam illa fiat examinare solent, an furi patrio lex non refragetur & post illud examen, publicationis mandatum primipilari apparitori, seu Ostiario dare.

Addit Zypeus num. 6. „Ea hic publicatio est semper necessaria in singulis Provinciis [quod unitæ quidem omnes sunt, salvo singularum fure, adeoque nullæ alteris subiectæ] singularumque Metropolitibus, tametsi plures sint; ut in Brabantia, Lovanium, Bruxella, Antverpia; Sylvaducis; in Flandria, Gandavum, Bruga, Ipra, alie alibi, ante hanc promulgationem Lex non solet obligare.

Ut igitur de extensione Edicti statuatur, inquirendum, cui inscribatur, cui executio mandetur, quæ Concilia Rex super eo consuluerit, & ex cujus sententia confectum; ac deniq; quæ formæ & loco publicatum: ut ex his omnibus appareat, an Edictum sit reputandum generale, an Provinciale, an particulare pro certo dumtaxat territorio. Quod de Edictis Principum nostrorum ex gr. hic dicitur, etiam dicendum est de similibus aliorum Principum, qui diversas, distinctasque Provincias sub suis Ditionibus possident.

PARAGRAPHUS NONUS

De Sententiis Judicum.

Um animus mihi esset, in hoc Opere exponere non tantum quid jam pridem SS. Canonibus, aut etiam recentioribus Decretalibus, quæ Jus Commune constituunt, Decretum sit, sed insuper, quid hic in Belgio, Gallia, aliisque vicinis Provinciis observetur, visum fuit, Magistratû seu Ecclesiasticorum, seu Civilium judicata inquirere & annotare, ut ex iis usus & praxis locorum innotesceret, aut saltem firmaretur.

Ut enim de Jure præsertim Consuetudinario, aut de ipsarum Legum observantia, aut sensu statuatur, maximi ponderis semper habita fuerunt etiam apud Romanos receptæ Sententiæ, hoc est, quæ usu fori & consensu Prudentium probantur. Hinc olim dixit Ulpianus Juris-Consultus in l. 34. ff. de Legibus: „Cum de consuetudine Civitatis vel Provincie confidere quis videtur, primum quidem illud explorandum arbitror, an etiam contradicto aliquando Judicio consuetudo sit firmata. „Non quod ad consuetudinem introducendam necessarij sint actus Judiciales; sed quod ad probandam consuetudinem plurimum valeant, uti passim observant Legum interpretes.

Eo verò amplioris ponderis erunt, quo plura in eodem vel diverso Auditorio, seu Tribunali sententiæ super eodem articulo emanarint. Imò, quæ incerta erant, si agitata deinde fuerint in Auditoriis, & rerum frequenter judicatarum auctoritate in unam partem definita, Jus Civile fiunt, inquit Stockmannus in Proæmio ad Decisiones Curie Brabantiæ. Quidni & Ecclesiasticum, præsertim in his quæ à praxi & consuetudine locorum maxime dependent; ut sunt solutiones Decimarum, reparationes Ecclesiarum, Domorum Pastoralium, aliæve similes.

Ne autem circa auctoritatem seu efficaciam rerum judicatarum aberretur, notandum, ordinariè res inter privatos, etiam in Supremo Principis Senatu judicatas, Jus Generale non facere, etiam in simili planè casu & iisdem omnino circumstantiis: atque fas esse Magistratibus, licet huic Supremo Senatui Subalternis, à sententia illa in judicando recedere, juxta illud vulgatum non exemplis, sed Legibus judicandum: nisi tamen Princeps, si ve Senatus Principem representans, declaret se velle, ut imposterum judicatum pro Lege habeatur; & pro Lege promulgari jubeat: quod subinde in materia magni momenti, & notabilis consequentiæ contingit: Atque de hoc casu intelligenda apparet Constitutio Justiniani Imperatoris in l. 12. Cod. De Legib. in verbis: „Si Imperialis Majestas causam cognitionabiliter examina-verit, partibus cominus constitutis sententiam dixerit: omnes omnino Judices, qui sub nostro Imperio sunt, „sciant hanc esse Legem non solum illi causæ, pro qua producta est, sed & omnibus similibus.

Hoc insuper notandum, quod sicuti non omnium Tribunalium par est auctoritas, ita nec rerum judicatarum parem esse vim & efficaciam: majorisque indubiè auctoritatis esse, Supremo Senatuum arresta, quàm inferiorum judicata.

Uterius notandum, arresta & res judicatas præcipuè valere, ut adstruatur consuetudo, aut sensus alicujus Legis illis in locis, quæ subiecta sunt Parlamentis, aut Magistratibus, à quibus hæc arresta, aut hæc sententiæ emanarunt: quia Parlamenta & Magistratus præsumuntur judicare juxta consuetudinem, aut interpretationem Legis in suis Provinciis aut Districtibus vigentem & receptam.

Nequaquam tamen dubitandum, quin & alicujus ponderis sint arresta vel scientiæ in exteris Parlamentis & Tribunalibus pronunciata super alicujus Legis aut Edicti, vel Canonis